

ibi enim ait tanquam ex regula generali: *Cum dispensationis reservatio sit odiosa, est restringenda ad casus certos; dubium enim non comprehenduntur sub reservatione, ut asserit probasse antea lib. 1. c. 10. n. 74. (1).*

6. E contrario quando impedimentum dirimens esset certum, et matrimonium jam fuisset contractum, est communis sententia posse Episcopum in eo dispensare quoties non facile possit haberi recursus ad Pontificem, et quoties immineret periculum scandalum, aut infamiae si conjuges separarentur, aut incontinentiae, si non separarentur: ita Sanch. Castr. Conc. Merbes. Tourn. Cabass. Nat. ab Alex. Bonac. Barb. Salmant. etc., contra quosdam paucos (2). Sed advertunt hic La-Croix et Felix Potestas, quod si dispensatio potest commode obtineri a S. Penitentia, et conjuges essent in bona fide, tunc illa est expectanda, et interim sponsi sunt relinquendi in sua bona fide juxta id quod diximus *Tr. 16. n. 113.* Insuper advertendum est cum Pontio Castr. Barb. Escob. Sanch. Salm. aliisque communiter, non posse Episcopum, si ambo conjuges mala fide contraxerint, tunc enim, si daretur locus hujusmodi dispensationi, daretur ansa celebrandi quotidie matrimonia nulla sub spe dispensationis. Præterquam quod Tridentinum *sess. 24. c. 5.* vult omnino privari quacumque spe dispensationis quicumque scienter contrahit in gradu prohibito. Notandum tamen cum Sanch. Salm. Bann. Conc. Aversa etc. quod ad constituendam in hoc casu malam fidem, oportet ut contrahens non modo scienter factum commiserit, quod scilicet cum conjuncta contraxerit, sed insuper quod sciverit extitisse impedimentum; imo quod de eo veram notitiam habuerit. Concilium enim inquit: *Scienter præsumpsit.* Unde cum ignorantia eras-

(1) Vide opus nostrum l. 6. n. 902. v. cæteram. — (2) N. 4123

sa potest quidem dispensari. Dene-ganda est insuper dispensatio ei qui contraxit, sed ex malitia publicationes prætermisit, ut habetur ex eodem Concilio loco citato (3).

57. Si vero matrimonium non adhuc contractum sit, probabilissima quoque adest sententia, et est communis quod possit tunc Episcopus dispensare in impedimento dirimenti, quando imminet periculum infamiae, et facili non est recursus ad Pontificem; ita Suarez Pign. Pont. Conc. Cabass. Castrop. Salm. Bonac. Card. Sylvius La-Croix Viva etc. cum Bened. XIV. (4), contra rigidissimum Fagnan. qui id negat etiam in mortis articulo, et in necessitate legitmandi prolem: sed alii communiter aiunt tunc præsumi aut quod Pontifex deleget Episcopo suam dispensandi facultatem, vel quod in casu tantæ necessitatis cesset dispensationis reservatio; et quod tunc Episcopus dispenset ex potestate sua ordinaria (5). Imo asserit Pignat. probatque (6) in tali casu cessare non modo reservationem, sed etiam legem impedimenti, utpote eam, quæ jam perniciose evaserit; cum certum omnino sit legem nocivam non obligare; ut docent omnes cum d. Thoma. Et ex hoc inferunt Roncagl. et Instructor nov. Conf. (ut jam diximus *Tract. 16. n. 114.*) quod adventiente casu quo sponsi jam ad ecclesiam pervenerint, et unus ex ipsis manifestaret confessario impedimentum occultum jam contractum tamquam peccatum, et sine scandalo, aut infamia matrimonium differri non posset, potest tunc confessarius declarare eo casu non obligare legem impedimenti, et posse licite contrahi. Verum ad majorem cautelam consulunt, ut obtineatur inde dispensatio a S. Penitentia (7). Sed advertendum est hoc currere, quando

(3) N. 4124. — (4) de Synodo l. 9. c. 2. n. 2. — (5) Vide l. 6. 4122. et fusius eodem l. n. 613. — (6) Tom. 3. consult. 33. n. 6. — (7) l. 6. n. 613.

Episcopus esset absens; quando etenim fieri potest, necessario ad ipsum est recurrendum ut dispenset, juxta ea quæ diximus n. 45. Dicunt autem Sambovius et Gibert, quod si contrahentes sint diversarum diœcesium quisque sponsus debet a proprio Episcopo dispensari. Verum probabiliter id negat Honoratus Tourn. cum aliis, quia sublato per Episcopum impedimento sui subditi, jam hoc ipso redit habilem ad contrahendum cum alio impedito; quemadmodum qui habet facultatem dispensandi in aliquo gradu, eo ipso quod dispensat cum uno ex sponsis, dispensat etiam cum alio (1).

58. Queritur utrum Episcopus possit aliis delegare hanc facultatem dispensandi in impedimentis dirimentibus in supra harratis casibus? Quidam pauci negant; sed communiter affirmant Castropal. Bonac. Barbosa Silvest. Sanchez Pontius Coninchius Salmant. Escob. etc. Et potest eam delegare non modo in particulari, sed etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, ut aiunt Sanch. Castrop. Salmant. Bonac. Elbel Valentia Vasq. Salas Henriq. Coninch. Guttier. etc. Cum enim hujusmodi potestas non industriae personali, sed episcopali officio sit annexa, ipsa jam reputatur ordinaria, et ideo recte potest delegari, ut notavimus n. 34. Et tanto magis idem dicendum de omnibus aliis facultatibus quas habent Episcopi circa publicationes, et impedimenta impedientia. Advertendum tamen quod hanc facultatem dispensandi non habent Vicarii Episcoporum sine ejusdem speciali commissione: diximus enim n. 31. quod in generali commissione vicariatus non committitur facultas illa, quam habent Episcopi dispensandi in hujusmodi casibus, ob præsumptam Pontificis voluntatem (2).

59. VII. Episcopus dispensare potest in interstitiis a Tridentino præ-

(1) N. 4122. — (2) N. 613. et fusius n. 4125.

criptis quoad Ordinationem clericorum. Et I. quoad Ordines Minores Concilium remittit prudentiæ Episcopi hujusmodi dispensationem, dicens: *Minores Ordines... per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur, sess. 23. c. 11. de Reform.* Quare etiam inter Ordines minores (per se loquendo) debet aliquid temporis intercedere, scilicet vel ab una generali ordinatione ad aliam, ut quidam asserunt, vel ab uno die festo ad alium, ut quidam alii affirmant; præterum, ut dispensetur in hujusmodi interstitiis, quævis sufficit causa, ut plurimi dd. docent. Inter primam vero Tonsuram et Ordines minores probabiliter nullum requiritur intervallum, quia probabiliter prima Tonsura non est Ordo. II. Quoad subdiaconatum. Concilium requirit annum intervallum susceptis minoribus Ordinibus, sed subdit inde: *Nisi necessitas, aut ecclesie utilitas, iudicio Episcopi aliud exposcat, cil. c. 11.* To ecclesie intelligendum de ecclesia in qua clericus est adscriptus; ut constat ex cap. 2. 3. A subdiaconatu ad diaconatum etiam annus requiritur, sed in hoc potest Episcopus ex quacumque rationabili causa dispensare, inquit enim Concilium: *Nisi aliud Episcopo videatur, sess. 23. c. 13. IV.* Tandem a diaconatu ad sacerdotium annus item requiritur, sed magis rigore: exigit enim Concilium non modo ecclesie utilitatem, sed etiam necessitatem, dicens: *Ad minus annum integrum, nisi ob ecclesie utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ib. c. 14. (3).*

60. VIII. Episcopus potest etiam dispensare ad celebrandum in alio altari, aut ecclesia non destinata a fundatore, quando adest aliqua juxta causa e. c. si hoc ad ejusdem ecclesie utilitatem redundaret; aut si capellanus morbo detineretur, aut studiis operam daret, vel aliis negotiis; aut si sine magna molestia ad eccle-

(3) Vide l. 6. n. 795.

siam destinata se conferre nequiret, aut ex similibus aliis rationabilibus causis; ita communiter asserunt Castropal. Concina La-Croix Salmant. Barbosa Ronc. Passerinus Henric. Tambur Mazz. alique; tunc enim Episcopus (recte potest, juxta ea quæ diximus n. 68.) fundatoris voluntatem interpretatur. Merito tamen excipit La-Croix cum Pasqualigo, si fundator ecclesiam designasset et horam ob commodum speciale familie, vel populi, vel ad cultum alicujus Sancti peculiarem; contra de Lugo et Tournely aiunt, quod si fundator nullum circa hoc finem habuerit, aut si finis jam cessaverit; sacerdos alibi celebrans non nisi venialiter peccat, imo excusatur ab omni culpa si celebret in altari privilegiato; quia tunc redundat in majus bonum ejusdem fundatoris (1).

61. IX. Potest insuper Episcopus dispensare justis de causis tam secum, quam cum aliis ad celebrandum post meridiem, ut dicunt Lugo Wigandt Navarr. Castrop. Layman Salm. etc. (2).

62. X. Olim ex *can. Missarum 11. de Consecr. Dist. 1.* poterant etiam Episcopi celebrare vel per se vel per alios sacerdotes in quocumque loco, etiam in privatis domibus. Sed postea a Tridentino, *sess. 22. in decr. de celebr. Miss. etc.* vetitum fuit Episcopis celebrandi licentiam impertiri in aliis locis, præterquam in oratoriis ab eisdem benedictis, et ad sacros usus destinatis, quæ censentur tanquam publica, unde ibidem potest quotidie celebrari. Hujusmodi oratoria debent habere januam ad viam publicam; sed hac non est intelligendum de illis quæ in Regularium domibus sunt erecta, aut alicujus communitalis, ut esset in seminariis, conservatoriis, hospitalibus vel in carceribus, quæ non requirunt januam secus viam; et rite potest in diebus solemnibus, quemadmodum S. C. declaravit. Idem dicendum de oratoriis quæ habent

(1) N. 329. n. — (2) N. 344.

Episcopi in suis domibus etiam campestribus extra proprias dioceses (3).

63. Insuper Episcopi olim ex *cap. ult. de privil. in 6.* cum a suis diocesis essent absentes, poterant celebrare per se vel per alios in quacumque domo extra propriam habitationem. Sed Clemens XI. abstulit ipsis hujusmodi facultatem: verum Innocentius XIII. iterum illam restituit in sua Bulla *Apostolici ministerii*, sub die 3. maii 1723. in qua dixit quod prohibitio non erat intelligenda de domibus in quibus morarentur Episcopi occasione visitationis, vel itineris, ut nec etiam quando Episcopi in casibus a jure permissis absentes moram faciunt in aliena domo. Atque hoc confirmatum fuit per aliam Bullam Benedicti XIII. Sed cum hoc privilegium sit personale Episcopis, ideo advertit Tamburinus, alios sacerdotes, absentibus Episcopis, non posse in dictis domibus celebrare (4).

64. Dubitatur utrum Episcopus possit aliquando dispensare, ut celebretur Missa in domibus privatis? De jure ordinario nec est nec fuit unquam permissum celebrare, nisi in locis sacratis, juxta *can. Sicut. 11. Dist. 1. de Consecr.* Excipitur tamen primo casus necessitatis, ut in eodem textu habetur. Casus autem hi necessitatis sunt 1. Si ecclesiæ sunt dirutæ, ut dicitur in *c. Concedimus Dist. 1. de Cons. 2.* Si aliquis sacerdos diu peregrinetur per loca deserta, aut infidelium, ut ex *eod. c. Concedimus 3.* Quando ecclesia populum non capit. 4. In castris, et in littore maris, si aliter plures carere deberent Sacro. Ita communiter dd. qui citantur a Card. Petra et a Salm. (5). Et hisce casibus quisque sacerdos celebrare potest in altari portatili extra ecclesiam. Advertit tamen Layman (6) cum Suarez et Soto, quod si Episcopus non adest, decet ab ipso

(3) N. 357. — (4) l. 6. n. 358. — (5) Petra tom. 4. in Const. 2. Urb. V. n. 31. Salm. tr. 5. de Miss. Sac. c. 4. ex n. 50. et seqq. — (6) Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. 3

licentiam impetrare. Insuper advertit Castr. (1) quod cum casus necessitatis est dubius, potest Episcopus dispensare juxta dicta *Tr. 2. n. 57.*

Præterea excipitur, cum Episcopus dispensat ad celebrandum extra ecclesiam in aliquo casu particulari ex justa causa: nam licet hodie Episcopi careant facultate impertiendi hanc licentiam eorum arbitrio, quam olim habebant; ut apparet ex *c. Missarum, Dist. 1. de Cons.* ubi permittitur celebrari in iocis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, et ex *c. Hic ego, ibid.* ubi: *In locis in quibus Episcopus proprius jusserit.* Et clarius expressum fuit *cap. in his 30. de Privil.* ubi Honorius III. decrevit fratres Franciscanos et Dominicanos vigore privilegii apostolici bene posse facere Sacrum in altari portatili sine licentia Episcopi loci, ratione adducta; quia alioquin mutile privilegium evasisset, cum sine ipso bene celebrare potuissent extra ecclesiam solo Ordinarii permissu. *Cum autem* (verba Pontificis) *nilhil eis conferret memorata indulgentia, sine qua id, Prælati annuentibus liceret.* Unde merito asserit p. Suarez (2) cum Silvestro Soto et Navarro, olim Episcopos hac facultate pollere indulgendi, ut in privatis aedibus celebraretur permanenter et sine ulla necessitate: *Quia illa (ait Suarez) non erat dispensatio, sed usu propria potestatis.* Licet, dico, hæc facultas ablata est Episcopis a Tridentino, *sess. 22. in Decr. de observ. in cel. Miss.* ubi dictum fuit: *Neve patiantur (Episcopi) privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda et visitanda, sanctum hoc Sacrificium a secularibus aut Regularibus quibuscumque peragi.* Attamen communiter dd. consentiunt id intelligi quoad licentiam

(1) Cast. l. 22. de Sac. Miss. d. 4. p. 8 n. 5. — (2) Suarez t. 3. in 3. d. Thom. parl. disput. 81. sect. 3. vers. secundo.

celebrandi permanenter per modum habitus, juxta facultatem quam prius habebant, sed minime ipsi vetitum fuit hanc licentiam concedere ad tempus per modum actus, si justa adsit causa; ita p. Suarez loco cit. vers. secundo in fine, ubi post casum exceptum necessitatis, sic ait: *Item, quia facultas hæc est per modum dispensationis; Concilium autem ab Episcopo non abstulit potestatem rationabiliter dispensandi, quam habet in hujusmodi rebus, maxime cum revera sit moraliter necessaria.* Demum addit: *Tandem usus hoc confirmat, quia ita fit sine ullo scrupulo.* Idem dicit Bonacina (3): *Episcopus potest in casu aliquo, justa concurrente causa dispensare ut Missa extra ecclesiam in loco honesto celebretur, ita Reginald. Beia, et Cenedo.* Deinde se remittit ad dicta alibi (4), ubi scripsit bene posse Episcopum dispensare in legibus canonicis quoad res quæ frequenter eveniunt, et dispensatione indigent; vel cum occurrit aliqua gravis necessitas, vel gravis utilitas, nec de facili Sedes apostolica adiri potest. Idque conforme est ad ea quæ diximus *Tr. 2. n. 58.* Idem scribit Barbosa (5): *Concilium loquitur de communi modo celebrandi non vero abstulit Episcopis potestatem rationabiliter dispensandi, stante necessitate, vel justa causa.* Idem scribit Escobar. (6): *Talis autem dispensatio cum rationabili causa non debet inter abusus recenseri; unde potest Episcopus hanc concedere facultatem (celebrandi extra locum sacrum) quando persona nobilis ratione senectutis vel infirmitatis nequit adire ecclesiam ut Missam audiat, et Eucharistiam recipiat.* Idem scribit Laym. (7): *Non videtur hæc potestas ablata (Episcopis), occurrente*

(3) Bonac. de Euch. d. 4. q. ult. punct. 9. n. 41. — (4) Bon. de leg. d. 1. q. 2. p. 4. n. 19. v. secundo et tertio. — (5) Barbosa de Pot. Ep. Alleg. 23. n. 9. — (6) Escob. t. 3. de Euch. c. 6. n. 85. — (7) Laym. l. 5. tr. 5. c. 5. n. a. v. ecc.

casu necessitatis dispensandi aut semel, aut saepius, quatenus rationalis causa suaserit; in loco honesto profanis usibus destinato, super altari sacro Missam celebrare liceat. Idem scribit Holzman (1): *Excipiendus est praeterea casus, quo Episcopus rationabili ex causa dispensat, ut in privatis aedibus, v. g. alicujus infirmi, super altari portatili celebrari possit.* Idem scribunt alii plures, ut Salmanticenses Elbel et La-Croix (2) cum Coninch. Rodr. Pasq. Quarti Diana Marcant Hurtado et Fagund. Itaque praefata sententia merito quidem communis dici potest. Et advertatur quod, cum a citatis dd. nominetur *necessitas* respectu ad dispensationem hanc, non sumitur pro necessitate celebrandi, talis enim necessitas non eget dispensatione, ut scripsimus supra in prima exceptione notata, sed intelligitur necessitas celebrandi, vel audiendi Missam extra ecclesiam, cum subsit justa causa celebrandi.

Neque hic obstat Decretum Clementis XI. quod opponit p. Mazzotta, sicut nec etiam obstant Decreta Pauli V. et Urbani VIII. quibus praefata dispensatio vetatur Episcopis; quia illa intelliguntur, prout intelligitur Decretum Tridentini, ubi inquit Escobar. et Salm. n. 58. cum Philiberto Hurtado Navar. Quintanad. Diana Fagund. id est, de dispensatione per modum habitus, non jam per modum actus ad tempus pro aliquo casu particulari, existente justa causa dispensandi. Et quoniam post Concilii Decretum non defuerunt aa. ut Soto et Emmanuel Sa, qui dixerunt non esse gravem culpam celebrare extra ecclesiam, si celebretur in loco honesto; imo Soto scripsit, ut refert f. Suarez (3) nullam in eo

(1) Holzman. t. 2. de Euch. c. 2. n. 370. v. Excip. pract. — (2) Salm. de Sacrif. Miss. tr. 5. c. 4. n. 56. Elbel. Th. Mor. eod. tit. p. 436. n. 233. Croix l. 6. p. 2. n. 263. — (3) Suarez in 3. p. to. 3. dist. 84. sect. 3 in prin.

adesse culpam, semper ac Missa clam dicitur, ita ut omne scandalum absit; ideo censeo relatos Pontifices id prohibuisse Episcopis Decretis clarioribus et urgentioribus.

Deinde dubitatur, per quot rices haec dispensatio concedi possit. Salm. dicunt semel, vel bis; sed alii, ut Suarez Laym. Bon. Escob. Holzman. et Elbel cum Pasq., etc. indefinite loquuntur, et intelligunt posse dari, durante illa infirmitate, aut alia causa accidentali. Et non sine ratione indefinite loquuntur, cum prohibito dispensandi intelligitur facta, ut supra ostensum est, tantum quoad dispensationes permanentes, non vero ad illas, quae impertiuntur ad tempus propter aliquam causam transseuntem, et certum est prohibitiones tanquam odiosas stricte esse interpretandas. Accedit insuper quadam declaratio, quam affert de hoc Gallemarte (4); ubi sic dictum fuit: *Permittit Pontifex Ordinarii arbitrio, necessitate personarum, et infirmitatis qualitate pensata, ut pro infirmorum commoditate etiam in privato oratorio, vel altari ad hoc deputato facultatem celebrandi concedat.* Idemque admittit Card. Petra (5) dicens, licere Episcopo licentiam concedere celebrandi domi alicujus insignis personae aegrotantis, ut Missam audiat, et Communionem fruatur. Accedit quod Honorius III. in cit. cap. in his; 30. de privil. loquens de facultate celebrandi, dixit in hac re, *benignam potius interpretationem faciendam.* Atqui si hujusmodi licentia impertiri potest ab Episcopis pro secularibus infirmis, ne Missa careant, ut supra dictum est; tanto magis concedi potest sacerdotibus, qui habent quamdam necessitatem saepe celebrandi, ut infertur ex Tridentino sess. 23. cap. 14. de Reform. ubi dicitur: *Curet Episcopus, ut ii saltem diebus dominicis, et festis solemnibus... mis-*

(4) Gallem. in Trid. sess. 22. Decr. de observ. etc. n. 6. — (5) Carp. Petr. t. 4. in Const. 2. Urbani II. n. 32.

sus celebrent. Quapropter nescirem ipse a veniali culpa excusare sacerdotem, qui valens quotidie celebrare (praeter unum diem in hebdomada ob reverentiam) omitteret ex pigritia Sacrum facere; quandoquidem sacerdos non tantum celebrat pro se sed etiam pro tota Ecclesia, cujus minister est constitutus, et pro toto populo christiano, pro quo in altari intercessor adest, ut declaravit Apostolus: *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona, et Sacrificia pro peccatis.* Hebr. 5. 1. Hinc oritur, prout dicebam, quaedam necessitas, quam sacerdos habet celebrandi; ac propterea facilius Episcopi concedere possunt sacerdotibus in aedibus propriis licentiam celebrandi, durante eorum aegritudine.

65. 11. Satis sit quod super hoc puncto dictum est. Ad alia transeamus. In cap. fin. Ne pro dilatione de pen. et remis. legitur concessum Episcopis extra propriam dioecesim commorantibus, Praelatisque minoribus exemptis, quo nomine veniunt Abbates et Superiores locales, et etiam Praelati romanae Curiae, ut pronotarii, auditores Rotae, etc. (ut dicunt Suar. Lugo Diana, etc.) posse sibi eligere confessarium, sine aliqua Ordinarii illius licentia. Sed S. C. declaravit (quod confirmatum est a Greg. XIII. apud Fagnanum) hoc intelligendum esse quod valeant sibi eligere aliquem sacerdotem sibi subditum: vel aliquem non subditum, sed a proprio Ordinario approbatum, id est ab Ordinario domicilii ejusdem sacerdotis, ut explicat Lugo (1). Eodem privilegio gaudent Cardinales, sed non alibi nisi Romae, ut inquit Fagnanus; et valent eligere in confessarium quemlibet sacerdotem tam pro se, quam pro sua familia, quem possunt etiam extra Romam perducere; quod etiam Episcopis est concessum (2).

(1) Vide l. 6. n. 565. v. dubitatur hic 4. — (2) Ibid. v. dubit. 2.

66. 12. Episcopi sunt delegati Sedis apostolicae ad tuendam clausuram monasteriorum Monialium etiam exemptarum, earumque quae Regularibus sunt subjectae, ut demonstrabimus n. 80. Ex hoc inferunt de Alex. Batrius Clericatus Pelliz., etc. (contra Dianam et Pasq.) quod bene quidem possunt Episcopi reservare sibi casus circa clausuram, atque ita declaravit S. C. Concilii die 16. nov. 1720. Quod est intelligendum etiam respectu Jesuitarum, etc. quidquid dictum fuerit Tr. 19. n. 43. vide inferius n. 80.

67. Omnes confessarii Monialium etiam exemptarum, debent ab Episcopo approbari, ut praescripsit Greg. XV. in Bulla *Inscrutabili*, quam confirmavit in omnibus Clem. X. cum alia Bulla *Inscrutabili* 7. Benedictus XIII. et nuper Clem. XII. qui in omnibus Gregorii Bullam innovavit (de qua infra n. 80.) etiam quoad ea quae Bened. XIII. contra Gregorii Bullam concesserat (3). Et ideo ait Tamburinus etiam Moniales exemptas incurrere casus ab Episcopo reservatos; quia sicut ille in approbatione limitare potest tempus et personas, ita etiam casus. Sed alii communius et probabilius (Pelliz. Quintanad. et de Alexand.) id negant, quia Moniales exemptae sunt extra jurisdictionem Episcopi; et approbatio confessarii respicit tantum ejusdem idoneitatem: tanto magis, quia in Bulla Clem. X. *Superna*, dicitur Episcopus posse limitare tempus, locum, et personas; et nulla fit mentio casuum (4). Verum hoc non currit quoad clausuram, circa quam bene potest Episcopus tam casum, quam censuram sibi reservare, at diximus Tr. 19. n. 43. et juxta quae dicemus n. 80. Insuper advertendum est, quod per Bullam *Pastoralis* Bened. XIV. potest Episcopus assignare confessarium extraordinarium Monialibus exemptis, si illarum Praelatus regularis illum concedere recusaret (qui esse debet alterius Or-

(3) l. 6. n. 577. — (4) N. 602. quaer. 6.

dinis, vel secularis), et hoc non solum in morte, sed etiam in vita singulis annis (1).

68. 13. Plures dd. asserunt, ut Angelus Silvester Armilla Tabiena, alique cum Croix (qui illis adhæret) posse Episcopum ex juxta causa commutare pias testatorum dispositiones, ex eo quia ipsi habent dispensandi potestatem in lege quæ jubet impleri ultimas voluntates, quoties ad sit juxta causa; idque confirmant ex Tridentino sess. 22. c. 6. Sed hoc negamus cum sententia probabiliori Molinæ Layman Sanchez, etc., quia in cap. Tua de Test. et in cap. 8. ejusdem sess. 22. a Concilio jubentur Episcopi adamussim exequi ultimas voluntates. Neque obstat quod opponunt, et quod legitur in eodem cap. 8., quia ibi tantummodo committitur Episcopis ut examinent causas utrum veræ sint nec ne, quando ultimæ voluntates a Sede apostolica commutantur. Tanto magis quia in Clem. Quia contingit de Reliq. dom. dicitur bona in aliquem usum applicanda non posse in alio nisi a Sede apostolica applicari. Cæterum est valde probabile quod dicunt Laym. Bon. Salm. Coninch. et Trull., quod si superveniat aliqua causa, sive testator ignoraverit aliquam causam, quam si cognovisset, aliter disposuisset; tunc Episcopus potest opus commutare, sed una cum hærede, quamvis, si hæres contradicat, asserant plures dd. posse id facere Episcopum illo contradicente (2).

69. 14. Dicunt super dd. ut Viva Diana Trullenchiuse Busembaum, alique, posse ab Episcopo fieri compositionem incertarum restitutionum (illarum scilicet quarum dominus est incertus) quæ pauperibus sunt erogandæ; quoniam (ut ipsi dicunt) hujusmodi compositio nulla lege Episcopis reservatur; et contra ipsa est juxta præsumptam creditorum voluntatem. Sed magis rationabiliter con-

(1) N. 576. — (2) Vide plura de hoc l. 8. n. 931. quer. 2.

traducunt Lugo Molina Turrianus Corduba, et alii, quia talium honorum administratio pertinet tantummodo ad Pontificem, vel ad Principem (3). Et re quidem vera Pontifex Benedictus XIV. in Bulla Pastor bonus (23. aprilis 1744.) hujusmodi facultatem S. Pœnitentiariæ concedit (4). Vide Tr. 19. n. 148. ad 10.

70. 15. Affirmant quoque La-Croix Tamb. et Pasqual. posse ab Episcopo minui numerum Missarum a testatore relictarum, quoties ob elemosynæ parvitatem, qui Missas celebraret, non inveniretur. Sed hic se opponit p. Concina, et quidem rationabiliter; nam Decretum S. C. emanatum jussu Urbani VIII. et confirmatum ab Innoc. XII., prohibet districte Episcopis reductionem moderationem, aut commutationem onerum Missarum impositarum in *limine foundationis*, et post Tridentinum, volens quoad hoc omnino ad Sedem apostolicam recursum haberi. Quia recte ibidem declaratum fuit, quod facultas concessa Episcopis, aliisque a Concilio, sess. 25. c. 4. de Reform. intelligenda est pro reductione Missarum relictarum ante Concilium. Cæterum ait Fagnan. cum Felino, quod si ab initio relictus erant sufficientes, et deinde taliter fuerint immutuli, ut nullo modo sufficiant, tunc non videri ablatam facultatem quam habent Episcopi de jure communi moderandi Missas juxta c. Non quidem de Testam. (5).

71. Jam superius dictum est n. 53. posse probabiliter Episcopum dispensare in omnibus in quibus dispensatio non est specialiter Pontifici reservata. Quid vero possint Episcopi circa relaxationem juramenti, et circa commutationem, aut dispensationem votorum, diximus Tr. 5. n. 19. 42. et seq. Notandum hic denique posse ab Episcopo, juxta Trident. sess. 21. c. 7. uniri, aut transferri

(3) N. 592 v. notat autem — (4) l. 7. n. 470. de facultat. s. pœnitentiariæ ad 10. — (5) Vide l. 6. n. 331. v. dubit. 1.

ad aliam ecclesiam beneficia simplicia jam ad tenuitatem redacta, aut fundata in aliqua ecclesia quæ lapsu temporis jam corruerit adeo ut nequeat amplius reparari, vide Barbosam (1). Insuper Episcopus potest unire seminariis beneficia simplicia etiam reservata, aut affecta, aut vacantia in curia Romana; Trid. sess. 23. 18. Insuper tempore visitationis potest Episcopus cogere parochianos ad necessaria parochia subministranda; Trident. sess. 21. c. 4. Potest etiam novas parochias erigere, et de matricibus dotare si hæc abundet, sed sine præjudicio possessoris; Trid. eod. loco. Potest etiam duas parochias unire, si divisæ nequeant singulæ suum parochum sustentare; dummodo populus non adeo distet, ut non sufficiat unius parochi assistentia; *ibid.* c. 5.

CAPUT IV.

De privilegiis regularium.

PUNCTUM I.

DE PRIVILEGIIS SPECTANTIBUS AD OMNES REGULARES IN COMMUNI.

72. 73. 74. I. De exemptione a jurisdictione Episcoporum.
75. Casus excepti, præcipue circa celebrationem Missarum.
76. Declaratio S. C.
77. Quibus casibus potest Episcopus obligare Regulares, etc.
78. Utrum Regulares teneantur præceptis Episcoporum.
79. Utrum Episcopus possit eos visitare.
80. Utrum visitare clausuram Monasterium.
81. Utrum petere rationem Missarum relictarum, etc.
82. et 83. Quibus casibus possit criminaliter procedere, etc.
84. ad 87. II. De obligatione decimarum.
88. III. Circa fundationes.
89. De monasteriis Episcopo subjectis.
90. IV. De judice conservatore.
91. et 92. V. De sepultura.
93. et 94. De portione canonica, etc.

72. I. Regulares habent privilegium exemptionis a jurisdictione Episcoporum, nam Prælati regulares habent in suis ecclesiis et monasteriis jurisdictionem quasi episcopalem, tam quoad personas, quam loca, sicut probant Salmant. qui agunt fusiùs de omnibus privilegiis prædictis in hoc puncto; sed nos solum adnotabimus hic res magis principales (2).

73. Itaque quoad prædictam exemptionem adnotandum primo, quod in dubio alicujus privilegii, decisio spectat ad summum Pontificem, quem admodum declaratum fuit a Clemente IV., et ab aliis Pontificibus (3). Adnotandum secundo quod huic privilegio exemptionis Regulares cedere non possunt, sicuti habetur ex cap. Cum tempore de arbitris, quia id redundaret in damnum religionis: quare nulla consuetudo in contrarium potest in hoc prævalere (4).

74. Notandum tertio, hoc privilegio gaudere, non solum professos et conversos, sed etiam novitios, qui in favorabilibus veniunt sub nomine Religiosorum; et etiam Tertiarios et beatos, sicuti dictum est numero 8. Servant etiam Regularium qui actu famulantur, et resident intra claustra monasteriorum et vivunt sub obedientia juxta Tridentinum, sess. 24. de Regul. et Monial. c. 11., eximuntur a jurisdictione Episcoporum, tam quoad censuras (juxta Bullam Alexandri IV. apud Salmant.) quam etiam quoad Communionem paschalem (5). Notandum quarto quod apostatæ et fugitivi possint capi ab Episcopis, sed solummodo ut consignentur suis Superioribus. Episcopus solum eos posset punire in casu quod eorum monasteria essent in loco quo posita, et ipsi moniti nolent regredi juxta Trident. sess. 6. c. 3. de Reform. (6). Vide alia, quæ de hac re dicuntur num 82. et 83. Notandum quinto quod Sæculares in monasteriis exis-

(2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. — (3) *ib.* n. 6. — (4) *ib.* n. 7. — (5) *ib.* n. 8. et vide opus nostrum l. 6. n. 240. in fine, et l. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq. — (6) Salm. eodem n. 8.

(2) Salm. tr. 18. c. 3. n. 3. — (3) *ib.* n. 6. — (4) *ib.* n. 7. — (5) *ib.* n. 8. et vide opus nostrum l. 6. n. 240. in fine, et l. 1. App. 2. de privil. n. 73. et seq. — (6) Salm. eodem n. 8.